

„de excommunicatis, et de contemplatione coelestium, et de contemplatione passionis Christi.” —

..... „Et dixit, quòd omnes fideles percipiunt gratiam in „communione etiam ipsi peccatores in hoc, quòd impediuntur „perficere mala, quae vellent, vel ad quae instigantur. Et „posuit exemplum tale: quemadmodum duellantes in circulo interdum defensantur per suos tutores, (Grizwertil) qui pertincas, quas portant manibus, interponentes, ictus ex adverso impediunt, et duellantes aliquantulum repausare faciunt. „Dixit quoque quòd nulli excommunicati aliquid gratiae percipiunt, cùm tamen alii peccatores percipiant, ut dictum est.”

Cap. CXIII. „De osculationibus vulnerum Christi, et eorum speculationibus.”

Cap. CXIV. „De narrationibus sanctarum virginum, quae et quanta essent passae propter Dominum.”

Cap. CXV. „De perfecto praemio, quod consistit in patientia.”

Cap. CXVI. „De strenuo servitio hominis, et de salutatione Ministri Fratrum et ejus instructione.”

Cap. CXVII. „De custode Fratrum et Lectore et Gardiano.”

„Deinde ait Dominus ad Custodem satis durè: Avete Domne. „Vos benè deberetis esse magis humilis, et recogitare, unde te tulerim, et quò extulerim: et magis benignè loqui Fratribus, „et corripere mansuetiùs, nec habere tam contemptibilia verba ad Fratres.”

„Deinde allocutus est Lectorem: avete Domne. Nimis estis piger, et tepescitis à servitio meo propter infirmitatem vestram.”

„Quam diu enim est, quòd non audistis missam? Nimiam sollicitudinem habetis pro sanitate: et nimis estis sumptuosus de pauperum eleemosyna.”

„Post hoc salutavit Gardianum inclinando et duriter reprehendendo: Cum sis Amicus Dei, multùm offendis triumphatoris (i. e. nugacibus) et ridiculosis verbis, dissolutionem et cachinum provocantibus. Facis, quemadmodum lotrix, quae lavans pannos, dealbat eos in Sole cum magna diligentia, ac postea eosdem pannos in lutum calcat.” —

„Ultimo salutavit unum Fratrem dicens: Ave fili. Tibi etiam commisi aliquam curam meorum: et quoniam cum fide et sol-